



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput V. De Lectione sanctarum Scripturarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

Ad hanc etiam pertinet, non quibuslibet hominum verbis credere: nec audita vel credita mox ad aliorum aures effundere.

Cum sapiente & conscientioso viro consilium habe: & quære potius à meliori instrui, quam tuas adinventiones sequi.

Bona vita facit hominem sapientem secundum Deum, & expertum in multis.

Quanto quis in se humilior fuerit, & Deo subjectior: tanto in omnibus erit sapientior, & pacatior.

## C A P U T V.

### *De Lectione sanctarum Scripturarum.*

I. **V**eritas est in Scripturis sanctis quærenda, non eloquentia.

Omnis Scriptura sacra eo spiritu debet legi, quo facta est.

Quærere potius debemus utilitatem in Scripturis, quam subtilitatem sermonis.

Ita

Ita libenter devotos & simplices libros legere debemus, sicut altos & profundos.

Non te offendat auctoritas scribentis, utrum parvæ vel magnæ literaturæ fuerit; sed amor puræ veritatis te trahat ad legendum.

Non quæras, quis hoc dixerit; sed quid dicatur, attende.

2. Homines transeunt, sed veritas Domini manet in æternum. Sine personarum acceptione, variis modis loquitur nobis Deus.

Curiositas nostra sæpe nos impedit in lectione Scripturarum, cum volumus intelligere, & discutere, ubi simpliciter esset transeundum.

Si vis profectum haurire, lege humiliter, simpliciter, & fideliter: nec unquam velis habere nomen scientiæ.

Interroga libenter, & audi tacens verbe Sanctorum; nec displiceant tibi parabolæ seniorum: sine causa enim non proferuntur.